

vatores quidem fuere; sed quia ad has scientias innumera requiruntur, de seculo ad seculum aliquid addiderunt posteri, inter quos *Chaldæi* & *Ægyptii* maximè viguerunt; Imò *Abrahamus Patriarcha* in disciplinis iisdem solertissimus fuisse creditur; Et *Moysen Astronomiæ* scientiam à Chaldæis & *Ægyptiis* hauiisse, *Philo* testatur; Quod etiam S. Stephanus in Actis Apostolorum confirmare videtur dicens: *Moyses fuit eruditus in omni sapientia Ægyptiorum;* cuius partem maximam fuisse Astronomiam, testantur *Diodorus, Diogenes Laërtius, Philo Judæus, Jamblichus & Eusebius.*

Ast quo usque in hâc scientia pervenerint, incertum est, nihil enim de his neque in sacris literis, neque in gentilium scriptis, memoriae proditum habemus, nisi generalia: Adeò ut in illis nec Planetarum nec Eclipsium Solarium & Lunarium ulla fiat determinata & distincta mentio.

Quorum supersunt Observationes, antiquissimi *Babylonii* sunt; nimirum habet *Ptolemæus ex Hipparcho*, aliquot Eclipses in Babylone observatas, annis paulo plus ante Christum natum 700; quod de ulterioribus commemorant, aut nullo probatur documento, aut fabulam sapis. Deinde *Græci Philosophi* in Astronomiæ & Geographiæ scientiis nulli cesserunt; sed foverunt in describendo & depingendo Mundo, ejusque Systemate, naturâ & origine, tantas inter se lites & contentiones, ut protuendâ singuli opinione suâ, non levius inter se calamo, quam hostes gladio decertaverint.

*Opiniones de Mundo.*

*Thales Milesius* (qui primus apud Græcos Eclipsin Solis prædixit, natus 640 annos ante Christum) unum tantum Mundum, & ipsum à Deo; contra *Metrodorus Chius Astrologus* Universum sempiternum esse contendebat. *Democriti, Epicuri & Leucippi* opiniones, plures Mundos præse ferebant. *Pythagoræi*, aliud Mundum; aliud Universum esse, Mundumque tanquam animal respirans attrahere Vacuum extra Mundum, & quasi ingredi in mundum dicebant,

Solemque in medio hujus Mundi confistere, & Terram cum cæteris Planetis circa illum volvi. *Aristoteles*, Mundum ab æterno & in æternum esse censuit, Unum tamen solummodo concessit, & hunc pro Universo accepit. *Plato* contrà, Mundum principium habuisse, finem vero non habiturum statuit.

Sic ejusmodi quoque diversæ prodierunt de Terreno nostro globo opiniones. Quod autem ille, unà cum aquâ & circumjacente aëre, rotundum verè globum & per se liberè in æthere subsistentem, constituat; Quod ve incolæ circumcirca eum inhabitent; illud antiquis, qui ante annos circiter 2300 & ultra vixerunt, inconnitum fuisse, videtur.

Cùm enim regiones exteriores Asiæ, Africæ & Europæ (multò minus America, quam Terram Novam appellamus) tunc temporis cognitæ non fuerint, & extra has nihil quam immensa maria viderint; Idcirco plerique Terram, aut aquis circumdatam, consequenter super maria fundatam: Aut alterâ parte infinitè profundam esse: Aut propter ejus figuram admodum latam, aërem comprimere inferiorem, atque sic ab eo sustentari putaverunt, ne decidat: In prima sententia fuit *Thales Milesius* & alii complures huic opinioni addicti (sicut etiam secundum istam vulgi opinionem Psal. 24. loqui videtur: *Deus Terram super maria fundavit & super flumina stabilivit*) Secundæ sententiae subscriptis *Xenophon Colophonius* cum suis asseclis; Quò forsitan secundum communiores populi sententiam verba Psal. 104: collimare videntur: *Deus fundavit Terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum & perpetuum*. Tertiam sententiam propugnaverunt *Democritus, Anaxagoras & reliqui istius opinionis.*

Quibus præsuppositis, Terram tam globum esse rotundum etiam ab Antipodibus circumquaque habitabilem, nemo tunc temporis putavit, sed semper discrepantes hæsere. Sic Terram Columnæ similem censuit *Anaximander*: Cylindro seu Tympano

*Diversæ opiniones de Terreno nostro Globo.*

*Terram globum rotundum & in æthere libere subsistentem esse, Antiquiores Philosophi nesciverunt.*